Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35421
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius dei. Et ecce elizabeth cognata tua: et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi que vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud deum omne verbum. Dixit autem maria. Ecce ancilla domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

Offer: Ave maria gracia plena dominus tecum benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Sec. In mentibus nostris quesumus domine vere fidei sacramenta confirma. ut qui conceptum de virgine deum verum et hominem confitemur. per eius salutifere resurrectionis potenciam. ad eternam mereamur pervenire leticiam. Per eundem. Prefa. Et te in annunciacione.

Com. Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius emanuel. Compl. Graciam tuam quesumus domine mentibus nostris infunde. ut qui angelo annunciante christi filii tui incarnationem cognovimus. per passionem eius et crucem. ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem.

Visitationis marie Introitus.

Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes in honore marie virginis. de cuius visitacione gaudent angeli et collaudant filium dei. Ps. Cantate domino canticum novum quia mirabilia fecit.